



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses**

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Calvinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Acta Apostolorum to. primus

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiæ, 1595**

Cap. 6.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39424**

## CAP. VI.

3. Considerate, fratres, viros ex vobis, &c. quos constituamus super hoc opus.

Diaconorum officium.

Iud. cap. vnico.

Loci circumstantiz.

1.

1. Tim. 7.

**C**ONTRA Diaconorum officium in Ecclesia Catholica cauillatur ad hunc locum Caluinus. Iam (inquit) perspicimus quorsum creati fuerint Diaconi. Nomen quidem ipsum generale est, proprium tamen pro œconomis pauperum accipitur: vnde apparet quàm licentiosè Deo & hominibus Papistæ illudant, qui suis Diaconis non alias assignant partes, nisi vt patenam & calicem tractent, & Euangelium legant. Certe longa disputatione nõ est opus, vt probetur nihil commune ipsis vel consentaneum habere cum Apostolis. Hæc ille: sed Hæreticorum more, quæ ignorat, blasphematur. Tamen hoc loco à Luca Diaconi officium nõ aliud legatur, quàm ministrare mensis, veluti prima occasio instituendi Diaconos; tamẽ ab ipsis Apostolis institutos Diaconos fuisse ad sacra quoque mensæ & altaris ministerium, tum ipsæ loci huius circumstantiæ, tum luculenta testimonia probant. Eliguntur Diaconi pleni Spiritu S. & sapientia, bonique testimonij, id est, irreprehensibiles; &, vt Paulus latius describit, omnibus penè illis dotibus ornandi quæ in Episcopo requiruntur. Quis credat ad solam œconomiam pauperum tantas dotes & tanta gratiæ præsidia requiri? Deinde,

Deinde, communes tunc fidelium mensæ,  
 sacræ mensæ & mysteriorum participationi  
 ordinariè coniunctæ erant, vt patet apud  
 Paulum. Sic vtrisque ministrabant. Præ-  
 terea, sollemnis illa ordinatio per orationem &  
 impositionem manuum Apostolorum aperte con-  
 uincit, non prophanis tantum, sed & sacris  
 muneribus obeundis eos institutos fuisse.  
 Hæ circumstantiæ Caluini errorem conuin-  
 cunt. Accedunt testimonia ab ipso Aposto-  
 lorum tempore: D. Ignatius D. Ioan. disci-  
 pulus Epistola 2. ad Trallianos ita scribit:  
*Oportet Diaconos, mysteriorum Christi ministros,*  
*per omnia placere. Nec enim ciborum & potuum*  
*ministri sunt, sed Ecclesie Dei administratores. Et*  
*pauidè post: Quid aliud Diaconi quam imitatores*  
*angelicarum virtutum, qui primum & inculpatum*  
*mysterium sacerdotibus exhibent, vt S. Stephanus*  
*B. Iacobo, Timotheus & Linus Paulo, Anacle-*  
*tus & Clemens Petro? Rursum in Epistola ad*  
*Heronem Diaconum: Nihil sine Episcopis fa-*  
*cito. Sacerdotes enim sunt, tu vero Sacerdotum mi-*  
*nister: baptizant, sacrificant, eligunt, manus impo-*  
*nunt: tu vero illis ministras; vt S. Stephanus Ia-*  
*cobo & Presbyteris qui erant Hierosolymis. Hu-*  
*ius vnius, sancti testimonio omnis Hæreti-*  
*corum petulantia & ignorantia satis retun-*  
*ditur. Sed tota quoque antiquitas nobis*  
*suffragatur. Polycarpus in Epistola ad*  
*Philippenses, Clemens Constitutionum*  
*Apost. l. 2. c. 61. & lib. 8. cap. 25. Dionysius*  
 E Areopa-

2°

1. Cor. 15.

3°

Diacono-  
rum offi-  
cium ad  
altare mi-  
nistrare.

Areopagita Ecclesiast. Hierar. part. 2. c. 1.  
 Cyprianus Epistola 49. & 65. Concilium  
 Carthaginense 4. in varijs canonibus: Au-  
 gust. Epist. 148. de ciuitate Dei lib. 20. c. 21.  
 & de Sanctis Serm. 4. vbi de S. Stephano  
 ait: *Diaconus erat; Euangelium legebat, quæ legis  
 vel audis & tu.* Hieron. in c. 7. Michæ: Am-  
 brof. lib. 1. officiorum cap. 4. Chryfosto-  
 mus hom. 60. ad populum Antiochenum,  
 alijque multis in locis. Ex quibus omni-  
 bus perspicuum est, nō à Papistis, sed à tota  
 antiquitate alias longè partes Diaconis as-  
 signari, quàm solis communibus mensis  
 ministrare, aut pauperum œconomos esse,  
 Calvinum autem Deo & hominibus licen-  
 tiosè illuderè, qui tot seculorum praxin ab  
 ipso Apostolorum tempore deriuatam tam  
 petulanter impugnat. Sanè ipsa tam pro-  
 lixa & erudita concio S. Stephani Dia-  
 conis, quæ proximo statim cap. sequitur,  
 Calvinum docere debuit, Euangelij præ-  
 dicationem ad Diaconos spectasse.

CAP.